

indivisible comparari unitati non in omnibus, sed in eo quod unitas non est divisibilis discrete, sicut punctum non est divisibile continue et secundo, quia indivisible est initium continui, sicut unitas numeri. Sed quia indivisible pertinet ad continuum terminando, et continuando, non autem partes divisibiles præbendo, non potest continuum quod habet partes solis indivisibilibus constare, sicut numerus solis unitatibus, quia separatione et divisione non compositione constituitur numerus.

### QUÆSTIO XXI.

DE INCOEPTIONE, ET DESITIONE RERUM.

Res quæ incipiunt et desinunt, solum reducuntur, vel ad permanentia, vel ad successiva, sub quibus continentur instantanea, et quæ tempore durant. De permanentibus agemus in hoc articulo, de successivis in sequenti.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Explicantur regula incoptionis, et desitionis in permanentibus.*

Cum incoëptio significet initium durationis et desinitio finem, nihil aliud sunt termini incoëptionis, et desinitionis quam instantia, sicut termini lineæ sunt puncta, et sic tota difficultas in incoëptione, et desitione rerum consistit in designandis instantibus, quibus res initiat, aut finitur. Ut autem diximus in questione octava, duo sunt modi incipiendi, et totidem desinendi, scilicet *intrinsicè* et *extrinsicè*; intrinsicè dicitur aliquid incipere, quando in aliquo instanti habet existentiam, et immediate antea non habebat, et

hoc vocatur *incipere per primum esse*. Extrinsicè dicitur incipere, quando in aliquo instanti nondum habet esse, sed immediate post habebit, eo quod talis res incipit modo temporis divisibili, non modo instantis, et ita non potest signari ubi primo incipiat, et hoc vocatur *incipere per ultimum non esse*, id est, per instans ubi ultimo non est, et immediate post incipit esse. Ex parte desitionis terminus intrinsicè est, quando in aliquo instanti est verum dicere, nunc est, et immediate post non erit, et hoc est *desinere per ultimum esse*. Extrinsicè modus desinendi est, quando est verum dicere, nunc non est, et immediate antea erat, et vocatur *desinere per primum non esse*, eo quod non designatur ubi res ultimo fuit, sed ubi primo non est. Res autem spirituales licet nostro tempore et instantibus non mensurentur, quia tamen virtualiter illis coexistunt, et nostro modo intelliguntur, etiam ad mensuram nostrorum instantium eas regulamus.

Circa res ergo permanentes, sit prima regula: Substantiæ permanentes sive generatione, sive creatione instantanea fiant, incipiunt per primum esse, non obstante quod generationem præcedat alteratio, quæ est motus. Hæc conclusio intelligitur per se, et connaturaliter loquendo. Ratio est, quia istæ substantiæ fiunt actione indivisibili, ergo in instanti. Antecedens patet, quia non suscipiunt magis, et minus, in quantum substantiæ sunt, neque creatio est productio per partes, et per motum, cum sit totius entis productio ex nihilo, ergo instantanee producit. Quod si produceret per motum, ita quod esset verum dicere, nunc non est, immediate post hoc erit, vel immediate post incipiet totum vel pars: non totum, quia illa mensura est parti-

bilis, et habet prius, et posterius, ergo prius est attingibilis pars quam totum, alias mensura attingendi non esset partibilis, ergo e contra, si non assignatur pars prior, et posterior, sed totum simul non incipit modo divisibili, sed indivisibili. Si autem immediate post non incipit totum sed pars, ergo illa actio non est factiva totius, nisi mediantibus partibus sicut motus, atque adeo non est per se primo productiva totius entis. De substantia vero quæ producitur per generationem, constat etiam produci in instanti; tum quia substantia non habet contrarium, cum non suspiciat magis et minus; tum quia terminus per se primo generationis est aliquod totum subsistens, non ut producitur per partes, sed ut totum est, ergo non respicit productionem modo divisibili, sed indivisibili, scilicet ut totum, et integrum, nec potest in quacunque parte minori, et minori produci, cum exigit determinatam quantitatem, ut producat, ut diximus supra quæstione octava. Videatur D. Thomas quodlib. vii, art. ix, et in hoc libro, lectione septima.

Statum vero se offerebat argumentum de dispositione ultima, quæ fit per motum alterationis, et in illo instanti terminante motum est verum dicere, non est ultima dispositio, et in illo instanti adhuc non est verum dicere, nunc est forma genita, alias in illo instanti jam non esset forma corrupta, et consequenter ultima dispositio nunquam esset in subjecto corrumpendo, sed in generando, atque adeo non desineret forma corrupta ut vi dispositionis ultimæ, quidquid autem infra ultimam dispositionem est, compatibile est cum illa. Si ergo in illo instanti est dispositio ultima, et in illo nondum est forma genita, immediate post erit, atque adeo non incipiet in instanti intrinsicè.

Hoc argumentum multa tangit quæ tractanda sunt in libris de Generali. Nunc sufficit dicere, quod ultima dispositio nunquam est nisi in subjecto generando, quia semper est conjuncta ipsi formæ genitæ, nec producitur a sola alteratione, sed ab ipsa generatione producte formam substantialem, quia ut conjuncta illi, et non seorsum producitur. Desinit autem forma corrupta ex vi ultimæ dispositionis, non quia in ipsa recipitur, sed quia cum ipsa non compatitur, sicut etiam expellitur a forma substantiali, non simul existente cum forma corrupta, sed simul non compatiens, quidquid autem infra ultimam dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, et in illa recipitur, sed cum advenit ultima dispositio, advenit etiam forma substantialis, ut illi conjuncta, et expellitur in genere dispositionis ab ultima dispositione, et a forma substantiali in genere causæ formalis: de hoc autem puncto in dicto loco plenius tractabitur.

Quod si inquiras, utrum possit per creationem produci aliquid non in instanti, sed in tempore de potentia absoluta, respondetur, plures id negare, ut Vazquez in tomo primæ part. disp. cccxix, cap. x. Alii contra sentiunt, posse creare in tempore, de quo videri potest Cursus Carmelitanus hic disp. xxxvi, quæst. iv; Fuente vi Phys. quæst. ii, diffie. iii, art. iii, et alii. Veritas tamen est utramque sententiam quoad aliquid veram esse. Nam si intelligamus posse aliquod creari in tempore quantum ad mensuram intrinsicam creationis, vel rei productæ, hoc repugnat, quia illa entitas, et actio ab intrinsicè habent incipere modo indivisibili. Si vero loquamur de successione extrinseca, id est, de mensura coexistente extrinsece tempore divisibili sic non repugnat



creari aliquid a Deo in instanti correspondente tempori nostro divisibili, sicut substantia indivisibilis Angeli coexistit spatio, et tempore divisibili, modo tamen indivisibili, ex parte sui. Sic ergo non repugnat immediate post instans nostri temporis aliquid creari a Deo, non quidem in instanti ejusdem temporis, quod non immediate sequitur, sed in instanti alterius mensuræ, quod æquivaleret nostro tempori, v. g. in mensura ævi. An vero possit similiter annihilari, vel desinere substantia in mensura temporis, statim dicemus.

Secunda regula, seu conclusio: Res permanentes desinunt per primum non esse connaturaliter loquendo, etiamsi desinant per annihilationem, supernaturaliter autem, seu præternaturaliter, non repugnat aliquid desinere per ultimum esse. Prima pars quantum ad annihilationem probatur, quia annihilatio est suspensio totius concursus, quo res fuit creata, et conservatur in esse. Hic autem, cum modo indivisibili detur, ejus suspensio connaturaliter fit in instanti, sicut creatio in instanti fit: si autem suspenditur concursus in instanti, in eodem instanti intrinseco desinit creatura. Neque enim potest suspensio concursus in eo instanti durare, et immediate potest desinere, atque adeo erit verum dicere in illo instanti, nunc non est creatura, et immediate ante erat: hoc autem est desinere per primum non esse, quia tunc primo non est, si autem desineret per ultimum esse, esset verum dicere, nunc est et immediate post non erit; atque adeo esset verum dicere, sine concursu Dei in hoc instanti creatura est, et immediate post ablatum concursum non erit. Cæterum, quia potest Deus suspendere suum concursum non instanti nostro, sed immediate post illud,

quia immediate post libere continuat et potest non continuare, ideo si immediate potest instans tollat concursum, desinet per ultimum esse dicendo, nunc est immediate, post non erit. Quæ regula nullo modo potest negari, licet aliqui Auctores oppositum dicant fortasse mutatis terminis.

Secunda pars conclusionis intelligitur de re quæ desinit ad generationem alterius incipientis per primum esse; nam si aliqua forma incipiat per ultimum non esse, tunc illa quæ desinit ad ejus incoepationem necessario desinit per ultimum esse, eo quod desinit immediate post instans: sic enim aliud incipit. Ex hoc probatur conclusio posita, quia tales res permanentes desinunt ad generationem alterius, ita quod idem est instans generationis unius, et desitionis alterius, et ita si res generatur per primum esse, necessario desinit res corrupta per primum non esse, alias esset verum dicere, nunc est res illa, immediate post non erit, si desineret per ultimum esse; sed in illo nunc res est generata. Ergo esset simul in eodem instanti forma genita, et corrupta, vel si in illo nunc non est forma genita, sed immediate post erit, non generabitur in instanti per primum esse, sed in tempore per ultimum non esse, eujus oppositum ostendimus.

Ex quo sequitur, quod quando incipit motus per ultimum non esse, dicendo, nunc non est motus, immediate post erit, talis motus non excludit necessario formam, quæ toto tempore antecedenti quievit, sed incipit excludere, compatitur enim motus ad unam formam cum retentione oppositæ, licet via corruptionis, sicut ægritudo cum vita et frigus cum calefactione movente ad calorem.

Dices primo: Repugnat quod substantia desinat per primum non esse,

si desinit per annihilationem, quia totum illud esse est indivisibile, et suspensio concursus est indivisibilis; ergo desinit ad modum instantium; sed instantia desinunt per ultimum esse, ergo talis substantia, quæ desinit per annihilationem, desinit per ultimum esse. Secundo: nulla res permanens, nec per se, neque per accidens, nec etiam supernaturaliter potest desinere per ultimum esse; nam quod desinit per ultimum esse habet totum non esse in tempore, quia est verum dicere, nunc est, immediate post non erit; immediate autem post est tempus: sed hoc non potest convenire rei permanenti, quia convenit ei totum suum esse indivisibiliter, ergo non esse, quod est ejus oppositum, etiam indivisibiliter debet poni, quia id quod tollit, indivisibile est, ergo non in tempore. Tertio: Res successiva, nec de potentia absoluta potest incipere, aut desinere in instanti per ultimum esse, si enim esset in instanti, non haberet partem post partem, quod est contra quidditatem successivi; ergo non potest verificari, quod sit in instanti. Ergo etiam res indivisibilis non potest verificari, quod sit in tempore.

Ad primum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod indivisibile formale ut instans, solum desinit per ultimum esse: indivisibile autem subjective et materialiter, scilicet id quod est subjectum indivisibilis durationis, bene potest desinere per primum non esse, si desinit annihilatione. Instans autem non desinit annihilatione, sed successione temporis, quia in instanti, quo est, non potest annihilari, desinit ergo immediate post, quod est per ultimum esse. Res ergo, quæ annihilatur, desinit ipsa annihilatione in instanti; in quo suspenditur concursus non immediate post,

atque adeo per primum non esse. Neque est necesse, quod primum non esse, sit privativum, id est, adjunctum generationi alicujus rei; sufficit quod sit pura negatio essendi.

Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quod bene potest non esset rei indivisibilis dari in tempore, et non instanti intrinsece; imo quod desinit per ultimum esse, non habet ipsum non esse in instanti, sed immediate post, quia non esse non mensuratur duratione, sicut ipsum esse, nisi per accidens, quando sequitur ad incoepationem alicujus esse, per cujus incoepationem aliquid corrumpitur: tunc enim desinit res in instanti, in quo primo opposita forma generatur et est. Secus est, si Deus suspendat concursum in tempore, et non in instanti, tunc enim desinit per ultimum esse, ut dictum est.

Ad tertium respondetur, quod motus non posset intrinsece mensurari duratione indivisibili, quia sic destrueretur ratio motus, quæ petit partem post partem; instans autem habet negationem partium. Nec potest coexistere instantaneæ durationi, nisi sit instans æquivalens multo tempori, sicut est instans ævi, quod tamen non correspondet motui, ut propria, et adæquata mensura, sed inadæquata: multa enim successiva coexistunt instanti angelico. Et similiter indivisibiles, licet intrinsece non possint mensurari mensura divisibili, et successiva temporis, bene tamen extrinsece coexistendo in mensura, quæ æquivaleret, et coexistit multo tempori, ut explicatum est.



## ARTICULUS II.

*Regulæ inceptionis, et desitionis  
in successivis, et instantaneis, et  
quie.*

Prima regula: Motus incipit per ultimum non esse, et desinit per primum non esse. Ratio primæ partis est manifesta, quia motus successivus non habet esse in instanti, cum non habeat esse indivisibile. Ergo in tempore, ergo non incipit per primum esse, alias esset verum dicere: nunc est, et immediate ante non erat. Non potest autem verificari de motu, quod nunc est, hoc enim pertinet ad mutatum esse, quod est terminus motus: et sic ad tale mutatum esse, præcedit moveri, ut probat Philosophus in hoc libro sexto. Ergo motus ut distinguitur a mutato esse, quod est indivisibile motus, non incipit in instanti indivisibili sed indivisibiliter, quod est incipere per ultimum non esse, et non per primum esse.

Nec potest dici, quod motus incipit per aliquid indivisibile, licet non sit mutatum esse, quia hoc est terminus motus, non initium. Nam contra est, quia illud indivisibile, quod dicitur initium motus, modo est, et ante non erat, cum in illo instanti incipiat. Ergo est aliqua mutatio, seu mutatum esse, et cum ante illud non præcesserit aliquid moveri, erit actio instantanea sine aliquo motu præcedenti, sed quiescente subjecto, toto tempore ante in opposita forma: de qua actione non loquimur, sed de successiva: imo inde probat D. Thomas I par. q. LIII, art. III, non posse Angelum moveri in instanti, quia non potest aliquid toto tempore præcedenti quiescere, et in ultimo instanti illius temporis moveri, seu aliter se habere. Quæ doctrina est eadem cum ea,

quæ traditur a Philosopho in hoc libro, text. LVI et ibi a D. Thoma lect. VIII, quod cum motus stricte dictus sit de uno positivo ad aliud positivum, non potest stare quod subjectum toto tempore quiescat sub una forma positiva, et in ultimo nunc illius temporis inveniatur mutatum ad aliam, eo quod in illa forma est tanquam in termino a quo, quiescendo tanquam in forma positiva, et sine motu et tendentia ad terminum ad quem, ut supponimus, quia toto tempore quiescit, ergo si in ultimo nunc illius temporis, est in termino ad quem, sine transitu et tendentia mutatur de termino a quo ad terminum ad quem, cum nunquam ante illud ultimum nunc moveatur, sed quiescat, quod naturaliter esse non potest, nam etiam in generatione substantiali datur motus et alteratio præcedens, et ante illuminationem de novo motus luminosi, supernaturaliter autem potest oppositum contingere, ut si Deus subito producat terminum ad quem, et destruat terminum a quo, sine transitu medio de uno ad aliud.

Quod vero omnis motus desinat per primum non esse constat, quia si desinere per ultimum esse, esset verum dicere, nunc est motus, immediate post non erit, nunquam autem verificatur de motu, quod est in instanti, et in nunc, cum essentialiter sit divisibilis secundum partes priores, et posteriores, quæ non possunt esse in instanti.

Secunda regula: Res permanentes, quæ incipiunt et desinunt modo successivo, ut calor, quantitas et similia, incipiunt et desinunt ad modum motus quantum ad suam entitatem absolutam. Si vero considerentur quantum ad gradus, vel ratione majoris, et minoris quantitatis, si gradus sit certus, et determinatus, et in parte certa, et determina-

ta, incipiunt per primum esse, alias per ultimum non esse. Prima pars probatur, quia motus non est præter res ad quas est motus, sed est ipsa res in fieri, et tendentia, et sic incipiente motu, incipit res ipsa, verbi gratia, qualitas ad quam est motus, ergo sicut motus incipit per ultimum non esse, ita et res illa ad quam est motus, et simile est de ejus corruptione, supposito quod corrumpitur per motum.

Secunda vero pars probatur, supponendo, quod in qualitatibus, v. g. non solum datur latitudo ab una qualitate ad aliam, sed etiam datur latitudo gradualis a minori ad majorem gradum, et e contra; inter gradum autem et gradum datur latitudo divisibilis secundum magis, et minus ad modum partium proportionalium. Et qualitatem secundum istas partes proportionales vocamus formam indeterminatam, sed secundum partes aliquotas, seu gradum certum vocamus formam determinatam. Dicimus ergo, quod ut graduatio qualitatis, qua redditur tanta, incipiat per primum esse, debet concurrere duplex conditio prima, quod gradus ipse, seu pars qualitatis sit certa. Secunda, quod subiectum, seu pars subjecti in qua incipit, sit certa, et determinata, si vero altera conditio deficiat, incipiet per ultimum non esse.

Ratio est, quia stante utraque conditione, si inciperet gradus caloris, verbi gratia, ut quatuor per ultimum non esse, esset verum dicere, nunc non est talis gradus caloris, et immediate post erit. Vel ergo in illo instanti deest aliquid ad illum gradum determinatum, vel non; si non deest, ergo jam datur, et sic non incipiet immediate post in illa parte. Si deest aliquid, vel divisibile, vel indivisibile; si divisibile non incipiet immediate post in tota illa parte, quia de illo divisibili

prius attingetur una medietas quam alias, et sic immediate post adhuc non incipiet tota. Si indivisibile non potest acquiri immediate post in tempore, sed in instanti quo est mensura indivisibilis, ergo non incipit immediate post instans, ergo neque per ultimum non esse. Cæterum pars, in qua incipit gradus qualitatis, non sit determinata, vel ipse non sit certus, et determinatus gradus, bene potest incipere per ultimum non esse, ut patet, quando intensio est motus uniformiter diffuser, sic enim calidum, verbi gratia, ut quatuor, si in aliquo instanti applicetur subjecto, ita diffundit calorem, quod in superficie immediata ponit calorem, ut quatuor, et in eo quod immediate sequitur post superficiem, quidquid est infra calorem ut quatuor, et sic consequenter minus ac minus, usque ad non gradum. Si ergo incipiat motus intensionis, cum debeat incipere per instans extrinsecum, seu ultimum non esse, oportet quod immediate post instans, illa pars, quæ immediate sequitur post superficiem majorem intensionem acquirat, ergo cum talis calor sit illud, quod immediate est infra gradum quatuor, si immediate post crescit, immediate post accipiet gradum ut quatuor, et sic incipiet ille gradus ut quatuor, immediate post instans in illa parte incerta, quod est incipere vel ultimum non esse. Et eodem modo incerta pars formæ poterit incipere immediate post instans ratione motus uniformiter difformis.

Quod si dicas: Currere hic argumentum supra factum, quia in parte immediata post superficiem, vel deest aliquid divisibile, vel indivisibile ad gradum ut quatuor, et quidquid dicatur, non potest incipere immediate post ille gradus certus, respondetur deesse aliquid divisibili



le per modum partis proportionalis, et designatæ, sed illa vincitur per motum, qui etiam immediate post modo divisibili incipit, et sic etiam ponit modo divisibili, quidquid restat ad gradum, ut quatuor. Et si urgeas, cur non idem dicemus quando in parte certa incipit gradus certus, respondetur quod illa pars cum sit certa, non potest vinci per illam partem motus, quæ incipit immediate post instans, quia illud quod immediate post instans sequitur, est aliquid divisibile indesignatum, et proportionale, et sic non potest afficere qualitate totam partem certam. At vero si tota pars certa moveatur usque ad ultimum instans, quo incipit certus gradus in ea, tunc immediate ante instans non deest nisi aliquid indivisibile, ut producat ille gradus, quia nihil deest quoad fieri, et divisibilitatem ejus, sed quoad terminari, et ut sit in facto esse, quod est indivisibile.

Quod si petas, quomodo desinant istæ formæ, quæ fiunt per motum, sive secundum se, sive secundum graduationem, respondetur quod desinunt ad incoepcionem formæ oppositæ, v. g. calor incipit remitti ad motum frigoris, frigus autem incipit per ultimum non esse; quia incipit per motum, in quod est verum dicere, nunc non est frigus, immediate post erit, et sic necesse est, quod desinat ille gradus caloris, seu remittatur per ultimum esse, in quo est verum dicere, nunc est talis gradus, immediate et post non erit, quia nunc non est frigus, et immediate post erit, et cum frigore introducto non stat ille gradus caloris. Si autem calor desinat, non solum quantum ad gradum, sed etiam quoad totam entitatem, desinit per primum non esse, quia non desinit, nisi ad totalem introductionem formæ oppositæ quæ introducitur in

instanti terminante motum, in quo est verum dicere, nunc est frigus, immediate autem antea non erat, et consequenter nunc non est calor, et sic verificatur, quod nulla forma perfecte, et totaliter desinit per ultimum esse, nisi sit instantanea.

Tertia regula: Quæcunque indivisibilia successiva incipiunt per primum esse, et desinunt per ultimum esse. Constat hoc, quia tantum durant per instans. De instanti autem est verum dicere, nunc est, et immediate antea non erat, et similiter nunc est, et immediate post non erit, ergo incipit per primum esse, et desinit per ultimum esse. Si autem inciperet per ultimum non esse, dicendo, nunc non est et immediate post erit, darentur duo nunc, seu instantia immediata. Indivisibilia autem permanentia, ut punctum in quantitate actus indivisibilis in intellectu, et similia, incipiunt lege rerum permanentium.

Ultima regula: Quies negativa motus incipit, et desinit sicut instans, quia solum datur in instanti, in quo est incapacitas ad motum. Quies autem privativa incipit per ultimum non esse, et desinit per ultimum esse. Et probatur, quia non potest incipere illa quies in instanti intrinseco, quia in illo non est capacitas ad motum, et consequenter non est quies per modum privationis, ergo incipit immediate post instans, quia immediate post potest esse motus, et consequenter si nunc non movetur, incipit quiescere privative. Desinit autem quiescere, quando incipit moveri ab una forma ad oppositam, licet enim adhuc in illa sit (quia non corrumpitur illa forma, quousque altera introducat, quæ est terminus motus, tamen non est in illa quiescendo, sed tendendo ad oppositam, tollitur ergo quies, quando incipit motus, sed

incipit motus per ultimum non esse, ergo desinit quies per ultimum esse quando est verum dicere, nunc est quies, immediate post non erit, quia immediate post est motus.

*Solvuntur argumenta.*

Primo arguitur: Ad probandum motum incipere per primum esse, seu dari primum mutatum esse, nam aliquis terminus motus, v. g. aliquis locus primo acquiritur, alias non relinqueretur aliquis terminus a quo, si aliquis non acquiritur. Ergo sicut est dare primum terminum a quo, qui relinquitur, ita primum terminus ad quem, qui acquiritur. Si autem nullus assignatur; ergo versus principium omnis motus est infinitus, cum careat principio. Confirmatur, in illo casu supra posito de cane cadente e turri, qui moritur in medio, tunc enim ille motus distinctus, qui incipit in cadavere, incipit in instanti, quia cum generatione continuatur; ergo potest motus incipere in instanti. Denique, in motu datur ultimum mutatum esse, in quo desinit motus; ergo eadem ratione poterit dari primum mutatum esse, licet in instanti non sit motus.

Respondetur non dari primum terminum acquisitum per motum, nisi talem terminum præcedat aliquis motus, quo acquiratur, atque adeo motus non initiatur in ipso termino. Et licet detur terminus a quo designatus, tamen quando primo incipit motus, non relinquitur in facto esse, sed quando terminatur motus: et sic quando motus incipit adhuc mobile potest esse sub termino a quo, licet non in esse quieto, sed in moveri, et via corruptionis, sicut dum quis movetur ad mortem per ægritudinem adhuc est in vita. Neque hoc est carere principio,

et esse infinitum versus initium, quia non caret principio extrinseco motus, sed intrinseco, neque habet infinitatem, nisi syncategorematicæ, quia non est dare primam partem motus, cum incipiat modo divisibili, et pars illa sit divisibilis in infinitum, licet sub parte finita continueatur.

Ad confirmationem jam supra respondimus in illo instanti, quo generatur cadaver, non dari motum, sed incipere extrinsece, et discontinuari a motu præcedente propter generationem distincti subjecti, a qua generatione, et non a motu procedit illa acquisitio loci, in qua cadaver invenitur, quando primo generatur.

Ad ultimum dicitur, dari in motu ultimum mutatum esse quia datur finis motus, qui finitur in aliquo termino producto, et tale mutatum esse præceditur a toto moveri. At vero si daretur primum mutatum esse, non præcederet aliquid moveri, alias non esset primum principium motus illud mutatum esse, sine moveri autem non potest dari mutatum esse. Nec intelligimus, quod ultimum mutatum esse, terminat motum, quasi intrinsece includendo in se partes priores, et posteriores, sed quasi ab illis relictum, et extrinsece terminans motum.

Quod si instes, quia in ultimo mutato esse existit motus; ergo adhuc tunc non desinit intrinsece, et per primum non esse, sed per ultimum esse, antecedens constat, quia motus est divisibilis: ergo non possunt omnes partes simul desinere, sed una prius, quam alia; ergo quando advenit ultimum instans non omnes simul desinunt, sed aliquid desinit, et aliquid permanet: ergo adhuc aliquid motus tunc datur; et deinde, quia motus existit per suum indivisibile, sicut tempus per instans, ergo in illo indivisibili adhuc existit



motus. Imo non nisi per illud, sicut patet, quando incipit aliquis gradus caloris per primum sui esse, ut diximus, tunc enim vel adhuc existit motus, vel incipiet ille gradus caloris, sine actione, si tunc non datur motus. Denique, in quantitate permanente quantumcumque dentur partes in infinitum divisibiles, tamen datur aliquis primus terminus, et ultimus, inter quos illæ partes includuntur, et redduntur finitæ. Ergo similiter partes motus priores, et posteriores aliquo primo termino includuntur, quia ubi datur prius, datur primum, nisi sit processus in infinitum.

Respondetur quod in ultimo mutato esse nulla pars motus invenitur intrinsece, et ita in illo non desinunt simul omnes partes, neque aliqua illius permanet, sed immediate ante omnes partes successive transierunt; in ultimo autem instanti jam non transeunt, sed terminative transactæ sunt. Dicuntur autem desinere in illo instanti, non quia in illo adhuc sit motus, sed quia in facto esse jam non est, cum immediate ante successive desinerent transeundo. Partibus autem transeuntibus succedit instans.

Ad secundam probationem dicitur, quod tempus, et motus existunt per indivisibilia continuata, non per terminativa, durat enim per illa per quæ continuatur ejus esse in ratione succedenti; terminativum autem instans est desitio non exis-

tentiæ motus. Ille autem terminus, seu gradus, qui producitur in illo instanti terminativo, habet illo instanti actionem terminative existentem, et virtualiter, non successive, et formaliter. Hæc est enim natura motus quod una pars resultat, et sequitur ex alia: et sic licet illa transeat successive, altera producitur ex illa terminative, et sic producitur una ex alia succedendo illi. Nec requiritur, quod tunc existat formaliter pars antecedens, quando existit, et producitur sequens, sed sufficit, quod immediate præcesserit, et illi altera continuetur, ratione enim continuationis virtualiter dicitur manere, seu terminative, de quo amplius dicemus in libro de Generatione.

Ad ultimam probationem dicitur, quod tam in quantitate permanente quam in successiva partes clauduntur terminis seu indivisibilibus, sed cum hac differentia, quod in quantitate successiva termini sunt extrinseci ipsis partibus, nec positionem habent in illis, quia se habent ut terminus a quo, et ad quem: et a primo incipit motus relinquendo illum: in secundo terminatur cessando. In quantitate autem permanente termini, seu indivisibilia habent positionem in ipso continuo, et conjuncta sunt permanentemente partibus, nec se habent tanquam terminus a quo, et ad quem, et ideo sunt intrinseci, et permanentes in ipsa quantitate, non extrinseci, ut in motu.

## CIRCA LIBRUM SEPTIMUM.

## DE COMPARATIONE MOVENTIUM ET MOBILIIUM.

## QUESTIO XXII.

## DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD MOVENDUM.

Conditiones istæ sunt tres, scilicet ex parte agentis existentia, ex parte rei motæ, et effectus, distinctio a movente, neque enim potest aliquid movere, et facere se ipsum, et ex parte passi et agentis, requiritur applicatio. De existentia egimus supra questione septima. Quomodo autem salvetur in instanti ultimo, quando jam desinunt dispositiones ad corruptiones subjecti in libro de Generatione dicitur. De reliquis duobus agemus in præsentis questione.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum omne, quod movetur, ab alio moveatur?*

Propositio ista Philosophi a multis rejicitur, qui existimant non requiri realem distinctionem, inter id quod movet et movetur, quod attribui solet Soto II Met. q. XIV, et videri potest Placa in II Phys. disp. I, q. VII, qui plures refert, et sequitur etiam Cabero hic disputatione unica, dubio secundo.

Fundamentum hujus sententiæ sumitur, tum ex variis actionibus, in quibus movens et motum non

distinguuntur realiter; tum ex destructione fundamenti Philosophi. Primo ergo est difficultas in motu cordis, et in motu gravium et levium. Totum enim cor movetur, et totum movet, quia cum sit motus vitalis, est a seipso. Similiter totus lapis movetur deorsum, et totus se movet, quia non impellitur ab aliquo extrinseco. Et similiter aqua calida se movet ad frigus, non per emanationem, sed per motum successivum, ut videmus, atque adeo idem est, quod movet. Nec dici potest, quod in istis motibus materia movetur, et forma movet, quia ut supra qu. XIX, probavimus ex Philosopho mutatio materiæ primæ non est motus stricte dictus; sed motus requirit pro subjecto ens in actu. Et ita D. Thomas XXV de Verit. art. II, docet quod formæ non possunt esse moventes, sed solum principium, quo aliquid movetur. Quare, cum prædicti motus sint motus proprie, non potest sola materia esse mota, quia motus non habet pro subjecto solam materiam, ut in V Physic. dicit Aristoteles.

Secundo, est difficultas in actibus immanentibus, qui in eodem a quo egrediuntur, recipiuntur, alias non essent immanentes; ergo in illis idem est agens et patiens, movens et motum.

Tertio, est difficultas in emanatione propriæ passionis, recipitur enim passio in eodem subjecto, a quo emanat. Ergo idem se habet active, et